



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. ii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

# D. Burchardi

## ECCLESIAE VVORMA- ciensis Episcopi, de Fornicatione, Decretorum Liber XVII.

### ARGUMENTVM LIBRI.

Liber hic Fornicationem, & incestum diuersi generis complectitur, & quæ correctio, pœnitentiæque iis, quibus vitiiis sunt inuoluti, debeatur, docet.

*De muliere, quæ cum duobus fratribus fornicata est. Cap. I.*

*Ex cõcil.  
Neocæsa.  
cap. 2.*

M

ulier si duobus fratribus nupserit, abiciatur vsque ad mortem: veruntamen in exitu propter misericordiam, si promissum quod facta incolumis, huius coniugii vincula dissoluat, fructum pœnitentiæ consequatur, & communio ei concedatur. Quod si defecerit vir, aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.

*De eadem re. Cap. II.*

*Ex decr.  
Martini  
pap. ca. 9* **S**I qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas uxores duxerit, à communione separentur vsque ad mortem. In morte, pro misericordia viaticum accipiant.

*De illo qui cum duabus sororibus fornicatus est, quarum vna vxor fuerat. Cap. III.*

*Ex cõcil.  
Aurelia.  
cap. 6.*

**Q**VI dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antea vxor fuit, neutram ex ipsis habeat: nec ipsius adulteri vnquam coniugio copulentur.

*De illo qui se ignorante cum sorore vxoris suæ fornicatus est. Cap. IIII.*

*Ex cõcil.  
Triburi.*

**I**n lectum mariti absente vxore soror iuit vxoris: & ille vxorem suam putans, dormiuit cum ea. Superius visum est, si ipse per securitatem veram hoc probauerit.